



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

2 Coadiutor datus alicui, quaenam facere potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO LXXV.

Ex consil. 33. in Nouis. deest in antiquis.

Capellania perpetua iuris patronatus, si (vt licet) per ordinarium ad Manualem reducat, beneficium esse desinit, & simplex beneficium efficitur, ad quod patronus sine alia Episcopi approbatione quemcunque deputare potest, & deputatum remouere; quod si postea impetretur vt beneficium, non tenet institutio, nisi iterum de Manuali per Episcopum in beneficium ecclesiasticum instituat.

DECISIO LXXVI.

Ex consil. 29. in Nouis. deest in antiquis.

Distribuciones quotidianas, quas canonicus hæreticus occultus accipit, si postea abfoluatur cum retentione canonicatus, canonicis illis restituere tenetur, quibus accreuerunt si ipse non interfuerit.

DECISIO LXXVII.

Ex consil. 33. in Nouis. deest in antiquis.

Cum omnis expressio falsi, quæ principem ad gratiam facilius concedendam mouere possit, eam subreptitiam reddat, cap. Super lucris, de rescr. consequenter impetrans beneficium exprimendo se teneri ad soluendam pensionem, quam iam licite redemit, non solum peccat, sed etiam gratiam perdit.

TITVLVS IV.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

S Y M M A R I V M.

- 1 Coadiutor datus alicui ex fructibus beneficij ab eo administrandi sustentare debet.
- 2 Coadiutor datus alicui, quænam facere potest.
- 3 Beneficio ob superuenientem amentiam quis priuandus non est.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 2.

Coadiutores, qui iure communi dantur Prælati beneficiarij, vt adiuuent eos in his, quæ ipsi facere tenentur, & non possunt, c. de rectoribus, & c. si de clericis ægrot. Inn. in c. nisi cum pridem, de renun. sustentationem habere debent ex fructibus, & redditibus beneficiorum, ad quæ administranda designantur, d. c. de rectorib. & c. 1. de cler. ægrot. in 6. Quæ sustentatio eis conceditur pro obligatione faciendi ea, quæ beneficiario agenda incumbunt, cum beneficium datur propter officium, c. si. de rescr. in 6. & c. 1. de clericis ægrot. in 6. Coadiutores vero extraordinarij, & qui conceduntur cum futura successione, ea solum facere possunt, & lucrantur, quæ illis ex Papæ concessionem permittuntur.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 3.

Coadiutor Episcopo datus Archiepiscopo propter necessitatem cum futura successione, & facultate exercendi spiritualia, & temporalia, quæ iure, vel consuetudine ad coadiutoris officium pertinent, absente Archiepiscopo, vel annuente, potest exercere, & benedictionem dare potest, pallio tamè vt non potest, donec sit Archiepiscopus, vel moriatur, aut cedat Archiepiscopus. arg. c. Nisi. & c. ex tuarum, de auct. & vsu pallij, nec beneficia conferre, vel alia exercere valet, quæ is, cuius est coadiutor per se vult, & potest exercere; cum ad Coadiutoris officium de iure non pertineat ea, quæ principalis rectè potest, & vult agere per se, nec coadiutoris consilio, aut auxilio vt vult. Arg. c. Pontifices, & c. petisti 7. q. 1.

DECISIO III.

Ex consil. 1. in Nouis. deest in antiquis.

Beneficium iuste possidens, si postea in amentiam incidat, eo priuandus non est, sed et a superiore coadiu-

tor dari debet, manente iure beneficij in illo, etiâsi amentis sit. Arg. c. tua. de clericis ægrot.

TITVLVS V.

De concessione prebendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

Hic titulus deest in Nouis.

S Y M M A R I V M.

- 1 Beneficia sine diminutione conferri debent.
- 2 Simonia mentalis nullam penam infligit, nec restituere obligat.
- 3 Episcopus licet perdat beneficia habita, ad alia tamen habenda non fit inhabilis.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 1. vt eccl. benef. sine diminutione conferantur.

Ordinarius in beneficij collatione collatarium iuramento adigere nequit, quod non renunciat beneficium cum pensione in alicuius fauorem, aut quod non permutabit illud, sed tantum purè, & liberè, & simpliciter renunciat in manibus Papæ, vel ordinarij, si illud renunciare, vel permutare valuerit; eo quod beneficia sine diminutione conferenda sunt, c. 1. vt eccl. benef. collatum autè beneficium cum huiusmodi onere, & pacto, nõ solum beneficij pretium minuit, ca. cum Ioannes, de fide instru. sed etiam simonia sapit, eo quod in collatione inuenit conditio, modus, vel pactum quod iure non inest acti conferendi, vel recipiendi beneficium, c. significasti, de elec. & gl. & Fel. in c. ad audientiam, de rescr.

DECISIO II.

Ex consil. 2. deest in Nouis.

Quamuis sola voluntate dandi, aut accipiendi spirituale pro temporali, simonia committi potest, cum Simonia sit voluptas eruendi, aut vendendi spirituale pro temporali, gl. in summa 1. q. 1. & Nau. in Man. c. 23. n. 100. ad eo vt laicus nullâ habens potestatem conferre vellet aliquod spirituale pro temporali, simoniam committeret, non minus, quam qui furari vellet, furtum committeret, licet non furaretur. c. Sic cui, de penit. d. 1. Per huiusmodi tamè simoniam mentalem nulla pena, aut censura incurritur, c. fin. de simon. nec aliqua restitutionis obligatio inde inducitur.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 15. de elect.

Episcopus, licet per consecrationem beneficia habita perdat, ad alia tamen futura habenda non fit inhabilis. Arg. c. licet canon. & c. commissis, de elect. in 6. præsertim Episcopus titularis; sed neque Cardinalis ad beneficia saltem simplicia obtinenda inhabilis est. ex Pan. in c. ecclesia vestra, nu. 2. de elect.

TITVLVS IX.

De his, quæ fiunt a maiore parte Capituli.

S Y M M A R I V M.

- 1 Administratio honorum Monasterij tota Abbati incumbit.
- 2 Professionis receptio, an ab Episcopo sine Capitulo fieri possit.

DECISIO I.

Ex consil. 1. in vtrisque.

Ablas licet sine conuentus, aut prioris consensu bona Monasterij alienare non possit, cap. Sine exceptione, 12. q. 2. pensionem tamen constitutioni assentire sine eorundem consensu.